

1265, desembre, 15

*Agnès de Foixà fa donació a Sant Daniel d'un quart del delme de Caldes i de Franciac, per dotar pitances i aniversaris, a administració de la priora.*

ASD núm. 192, perg. orig., 660 x 350 mm. Còpia del s. XIV, ADG Delmes, ff. 18-19, amb nota que l'original fou presentat per Berenguera de Trilla, priora de Sant Daniel.

Ad honorem domini nostri Ihesu Christi et beate Marie uirginis matris eius et omnium sanctorum celestis curie, sit omnibus hominibus manifestum quod ego Agnes de Fuxano, ob remedium anime mee et Raimundi è:le Gerundella, uiri mei olim defuncti, et parentum meorum et omnium fidelium defunctorum, in presencia et testimonio uenerabilis domini Petri, diuina miseratione episcopi Gerundensis, gratis et spontanea uoluntate dono et offero Deo et monasterio Sancti Danielis ordinis Sancti Benedicti cum hoc presenti publico instrumento firmiter omni tempore ualituro in perpetuum totam quartam partem tocius decime parochie de Calidis et de Franciacho et omnes redditus et prouentus decime supradicte, quam immediate teneo et possideo per uenerabilem in Christo patrem dominum episcopum Gerundensem, quam dictam decimam prefatus Raimundus de Gerundella, cuius in pace anima requiescat, michi donauit, prout in instrumento inde confecto plenius et laciis dinoscitur contineri. Quam dictam donationem facio sub tali forma uidelicet atque modo quod post obitum meum priorissa prefati monasterii que pro tempore ibi fuerit teneat decimam supradictam et accipiat et colligat atque recipiat in perpetuum omnia expleta, redditus et prouentus decime supradicte, de quibus expletis, redditibus et prouentibus dicta priorissa det et dare teneatur conuentui dicti loci et capellano atque ebdomedario eiusdem loci singulis annis perpetuo in inicio Quadragesime septuaginta solidos barchinonenses monete de temo pro piscibus, ita uidelicet quod post obitum meum dicta priorissa det in piscibus recentibus uel salsis cuilibet moniali et dictis duobus clericis partes predictos et uniuersos contingentes de predicta quantitate singulis diebus Quadragesime usque ad festum Paschatis exclusiue. Dolo etiam quod predicta distributio uel portio supradicta absolute detur per dictam priorissam predictis monialibus tam paruis quam magnis et duobus sacerdotibus supradictis sine aliqua diminutione, nec eis in predicta partione computentur cotidiane distributiones quas recipiunt, seu aliqua pietancia que eis fieret ab aliquibus personis uel aliquid aliud quod eis in generali uel speciali ab aliquibus donaretur. Item uolo quod post obitum meum dicta priorissa det et dare teneatur sexsaginta solidos prefatae monete conuentui supradicto et dictis duobus sacerdotibus singulis annis perpetuo diebus ueneris sub eisdem forma et modo appositis in datione piscium predictorum, exceptis tamen diebus ueneris Quadragesime et Aduentus Domini. Item uolo et mando quod post obitum meum dicta priorissa faciat celebrari singulis annis perpetuo pro anima et corpore Raimundi de Gerundella predicti anniuersarium .LXXX. presbiterorum in monasterio sepedicto, qui celebrent ibi missas specialiter pro anima dicti Raimundi et mea et generaliter pro animabus omnium parentum meorum et

omnium fidelium defunctorum et offerat cuilibet sacerdoti sex denarios predicte monete de terno et det preterea dicto conuentui tantum decem solidos pro pietancia illa die, et quod orent dominum Ihesum Christum pro anima dicti Raimundi et mei et aliorum, ut superius est expressum, et uolo quod dicte misse celebrentur in dicto monasterio infra triduum a die anniuersarii computandum, tam per sacerdotes dicti laci quam per illos quos dicta priorissa pro dictis missis ibi celebrandis uoluerit conuocare. Item uolo et ordino quod post obitum meum dicta priorissa teneatur facere anniuersarium meum perpetuo annuatim de totidem sacerdotibus in dicto loco, qui specialiter orent pro anima mea et dicti uiri mei et generaliter pro animabus parentum meorum et omnium fidelium defunctorum, prout dictum est de anniuersario Raimundi de Gerundella predicti, cui anniuersario faciendo dono et relinquo de expletis, redditibus et prouentibus decime supradicte quinquaginta solidos prefate monete, ex quibus priorissa det et offerat dictis sacerdotibus .XL. solidos, et decem solidos residuos conuentui pro pietancia, prout dictum est superius et ordinatum de anniuersario Raimundi de Gerundella, et orent Deum pro anima mea et dicti uiri mei. Item uolo, mando et ordino quod illa priorissa que nunc est in monasterio suprascripto, uidelicet Cecilia filia mea, habeat post obitum meum de redditibus et prouentibus decime supradicte singulis annis in uita sua quinquaginta solidos iamdicte monete in subsidium uestiarii; post mortem uero istius priorisse, priorissa que in dicto monasterio pro tempore fuerit teneatur dare dictos .L. solidos singulis annis pro anima mea, ita uidelicet quod det .XXV. solidos pro missis in dicto monasterio celebrandis infra .VIII. dies post anniuersarium meum et alias .XXV. solidos det conuentui pro pietancia infra predictos .VIII. dies ad cognitionem priorisse que pro tempore ibi fuerit constituta, et quod orent pro anima mea dominum Ihesum Christum. Item uolo et mando quod dicta decima siue redditus et prouentus decime supradicte numquam possint permutari uel alienari per abbatissam uel conuentum uel per aliquam aliam personam, sed semper sint et maneant in uiolabiliter monasterii supradicti cum honore et prestatione singularum pensionum et prestationum que semper fiant per priorissam dicti monasterii, prout superius est expressum. Residuum uero si quod fuerit, factis omnibus seruiciis supradictis, uolo et ordino quod sit priorisse que ibi nunc est et post eam omnium aliarum priorissarum que in dicto monasterio pro tempore fuerint constitute, pro labore quem sustinebunt ratione predictorum seruiciorum faciendorum. Et si redditus et prouentus decime supradicte non sufficient ad predictas lexias soluendas et seruicia facienda, defalcetur per dictam priorissam de singulis predictis lexiis pro rata et soluantur dicte lexie per dictam priorissam ut predictum est, secundum redditus et prouentus quos percipere poterit ex decima, redditibus et prouentibus supradictis. Preterea retineo michi diebus omnibus uite mee expleta, redditus et prouentus decime supradicte, et quod ratione dicte donationis dictum monasterium uel abbatissa uel conuentus eiusdem nichil possint petere uel habere in redditibus uel prouentibus decime supradicte in omni uita nisi ego aliter ordinarem. Uolo tamen et mando quod predicta uel aliquid de predictis non fiant a predicta priorissa nec aliquid dictum monasterium uel priorissa possit exigere uel recipere in dicta decima uel in redditibus et prouentibus eiusdem donec debita mea soluta fuerint et iniurie mee restitute plena modo per manumissores meos quos in

testamento meo ordinabo. Et sic promito per me et meos prefatam donationem et ordinationem a me sponte superius factam semper ratam habere et perpetuo obseruare et numquam contrauenire iure aliquo siue causa.

Actum est hoc .xvm. kalendas ianuarii anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto.

Sig+num Agnetis de Fuxano predicte, qui predicta omnia firmo, lauda atque concedo. Ego Petrus, Dei gratia Gerundensis episcopus, lauda, approbo et etiam firmo perpetuo predictam donationem et omnia alia contenta in dicta donacione\*. Ego Guielmus de Turno, testis, subscribo\*. Ego Petrus de Balneolis, presbiter de capitulo Gerundensi, testis subscribo\*. Eg+o Dalmacius de Petracisa, abbas Sancti Felicis Gerunde, subscribo\*. Ego Dalmacius de Rechesen, ecclesie Gerundensis precentor, subscribo\*. Testes huius rei sunt frater Iohannes, ordinis Templi, maiordomus domini episcopi et Petrus de Ruuira, eiusdem domini episcopi amblerius. Sig(s. man.)num Guilielmi de Ualle Danielis, capellani domini episcopi Gerundensis, huius rei testis\*.

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii et suprascriptis in .XVI. linea, ubi dicitur "in ouis", die et anno prefixo. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 403-406